



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

159 Ad resignentes bene-valentes non pertinere illa[m] Cancellariæ
Regulam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Comment. in c. cum vniuersorum. de rer. perm. 95

supræ Curie Parisiensis confirmata, sicut apud Carolum Molineum in Commentario suo ad eandem regulam Cancellariæ. nu. 30. & multis seqq. est videre. Quidsi collatio nõ pertineat ad Episcopum qui permutationem probauit & absque consensu Collatoris (qua de re quæstionem proposuimus ad cap. præcedens) resignationem admisit, moriente mox intra viginti dies illo qui resignauit? magis est vt Regulæ sit locus, cum ratio Regulæ secunda, de iniuria nimirum quæ Collatori sit ordinario, minimè cesset. Præterea diligenter est obseruandum, prædictam Regulam Cancellariæ loqui de resignantibus infirmis vel ægrotis, non autem de resignantibus bene valentibus: quia licet illi bene valentes mox à resignatione præter spem & expectationem inopinatò moriantur, etiam ante duos vel tres nedù viginti dies, resignatio nihilominus effectû sortietur; cum cesset omnis fraudandorû canonum sacrorum suspitio. Sed ad alia pergamus.

Ait Pont. *deceptis & non decipientibus iura subueniant.* Deceptio fuit in eo, quòd Laurentius Gerardum ad priùs resignandum callidè videatur induxisse, neque tamen vicissim resignare voluerit nec Episcopû pro permutatione comprobanda (sicut oportebat) accedere, nec etiam Gerardo suum beneficium restituere, causatus fortè rem non esse integram eò quòd iam ad manum tertij cuiusdã, nimirum sui consanguinei beneficium sibi à Gerardo resignatum collatione legitima seu canonica perue-

158

Quid si collatio nõ sit Ordinarij, sed alterius non consentietis?

159

Ad resignantes bene valentes nõ pertinere illam Cancellariæ regulam.

160

Deceptio qualis hic fuerit.